

Vol. II, a. 1265-81

p. 238-239 (Liber donationum Caroli primi)

11. - Die XXVI februarii I indictionis (1273) apud Capuam.

Concessa sunt in pheodum predicto Ioanni de Salciaco et heredibus suis ... de bonis concessis quondam Ioanni de Angittu, mortuo sine liberis legitimis, ad manus Regis per excadentiam devolutis, infrascripta bona pheodalia, que fuerunt Altrude, matris Riccardi de Ribursa, que sunt in Aversa et pertinentiis eius; nec non et bona concessa quondam Petro de Burgis in vita sua tantum, ex ipsius obitu liberis legitimis non relictis ad manus Curie per excadentiam devoluta, que fuerunt Iacobi de Castello, Ioannis Maioris, Riccardi de Ribursa et predictae Altrude, proditorum nostrorum de Aversa, que ex ipsorum prodicione ad manus Curie deveniunt, ad valorem unciarum auri VIII.

Bona vero ipsa sunt hec, videlicet: que fuerunt pred. Altrude: petia terra una sine arbusto ubi dicitur ad Fossam Abbatisse, iuxta viam puplicam, et continet modia XL; item petia una terre in pertinentiis ville Casolle Valenzani, ubi dicitur ad ... [iuxta] viam puplicam et terram eccl. S. Laurentii de Aversa, et continet modia terre XXIII. Item que fuerunt Iacobi de Castello, scilicet: in Mercato de sabbato domus una cum curticella sibi contigua, iuxta domum Petri de Goffredo et viam puplicam, in qua fuerat cellarium, valet per annum tar. XXV; item petia una terre in pertinentiis ville Fullani, ubi dicitur ad Gualdum Briani, iuxta terram iudicis Blasii et viam puplicam, et continet modios terre VII, valet tar. XXVIII; item in pertinentiis ville S. Arcangeli petia terre una sine arbusto iuxta terram Iohannis de Goffredo et terram Henrici de Sancto Arcangelo, et continet modia terre VIII, valet uncia I; item in pertinentiis ville Savingiani orticellus unus iuxta fossatum Averse et viam puplicam, valet tar. III; item ortus unus qui fuit quondam Riccardi de Ribursa in Mercato de sabbato, iuxta fossatum Averse et viam puplicam, valet tar. XV; item petiola terre una que fuit Iohannis Maioris in pertinentiis dicte terre, iuxta terram iudicis Ade Malaclerica, terram Iacobi Maioris et terram Mathei Iaconi, valet tar. VII; item domus que fuit Altrude mulieris, uxoris quondam Bartholomei et matris Riccardi de Ribursa, sita in parochia Sancti Adoeni de Aversa, iuxta domum Raynaldi Porcarii, domum Iacobi et Gualterii Porcarii et domum pred. Riccardi, valet tar. X. (Reg. 7, fol. 8) (Registraz. G. Della Marra)

Fonti: Ms. in Arch. (trascriz.); Bolvito, ms. cit. f. 9 (trascriz.); De Lellis, Notam. VI, f. 131 (trascriz. parziale); Del Giudice, Cod. Dipl., II, P. I, p. 272, n. (trans.); Ms. Soc. stor. Nap., XX A. 16 f. 174 (not.); Sicola Repert. II.